

# SYMPHOSIUS AMALARIUS

PRESBYTER METENSIS ET CHOREPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN SYMPHOSIUM AMALARIUM.

(Fabræ., Bibl. med. et inf. Lat.)

Amalarius, Amularius, Amelarius, Anilarius, Hamularius, Amalarius, Amalhart, (a) Hamalart, chorepiscopus Metensis, qui anno 816 concilio Aquisgranensi probavit librum Vitæ clericorum [Al., canonicorum] capitulis 113, quibus alia 32, et de Vita sanctimonialium capita 28, adjuncta sunt. Vide in tomis Conciliorum Regia tom. XXI, Labbei tom. VII, Harduini tom. VI, Coleti tom. IX. Vide et Sirmondi Concilia Galliæ, tom. II, pag. 329; Cointii Annales, tom. VII, pag. 317, 319, 397 seq. Idem Amalarius an. 825 a synodo Parisiensi missus Aquisgranum ad Ludovicum Pium syllogen testimoniorum x SS. Patribus adversus imaginum cultum pertulit Idem, de quo Siebertus Gemblacensis, cap. 87: « Amalarius (ita pro Attulario legendum) monachus brevem libellum de ecclesiasticis officiis scripsit. Postea scribens de eadem re ad Ludovicum imperatorem, ordinem et causas Ecclesiasticorum Officiorum, quatuor libris planius digessit: et de mysteriis missæ librum unum. » In ms. codice Ecclesiæ S. Martialis apud Lemovicis, teste Mabillonio, tom. I, pag. 419, tom. II, pag. 140 (editionis novæ pag. 100 et 432), hæc in fine leguntur: *Explicit liber Symphosii Amalarii presbyteri venerabilis*

de Divinis Officiis, quem misit ad Ludovicum et Lotharium reges filios Caroli Magni imperatoris, quem librum transcribi curavit Ademar, etc. Ex illo codice Mabillonius supplementum (b) l. iv, c. 48, publicavit de Regula S. Benedicti præcipui abbatis, ad quod illustrandum pertinet etiam Mabillonii dissertatio de monastica vita Gregorii Magni, tomo II, pag. 145, et editionis novæ pag. 499. Amalarii Eclogæ de Officio Missæ in Baluzii Capitularibus regum Francorum, tom. II, pag. 1352, qui etiam Anonymi Responsonem de corpore et sanguine Domini a Dacherio tom. XII, pag. 39, et editionis novæ tom. I, pag. 149, editam, Amalarii hujus esse annotavit. Quatuor libri de Ecclesiasticis Officiis, quos Honorius IV, 3, de Scriptoribus ecclesiasticis, episcopo Metensi diserte tribuit, prodierunt una cum ejusdem libro de ordine Antiphonarii (in quo Lectionarium etiam et Cantatorium, et Commentarium diurnalis Officii auctor fuit pollicitus) in Melchioris Hittorpii collectione scriptorum de Divinis Officiis, Coloniae 1568 fol., et in Georgii Ferrarii, Romæ 1594 fol., nec non in universis Patrum Bibliothecis, ac novissima Lugdunensi, tom. XIV.

(a) Alius Amalhart abbas Hornbacensis, apud Mabillonium tom. IV Analect., pag. 643, et editionis novæ pag. 426.

(b) Illud Supplementum, sicut et caput 46 et 47 libri IV, in suo codice non legit Bostonus Buriensis.

# FORMA INSTITUTIONIS CANONICORUM ET SANCTIMONIALIUM

CANONICE VIVENTIUM,

Anno Christi 806 Ludovici Pii imp. hortatu \* in concilio Aquisgranensi edita, collectore SYMPHOSIO AMALARIO Metensi presbytero.

[Mansi, Conc. Ampl. Collect.]

## PRÆFATIO PATRUM CONCILII.

Cum in nomine sanctæ et individue Trinitatis Christianissimus ac gloriosissimus Ludovicus super-

no munere victor Augustus, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 816, indictione 10, anno

\* Concilio Aquisgranensi. In hoc concilio, Ludovici Pii jussu, duplex libellis duobus, ut docet præfatio, condita est Regula, una canonicorum, quæ

sæpe hætenus vulgata est, altera sanctimonialium, quam primi in lucem edidimus. Qua in re præcipuam operam navasse dicitur Amalarius Metensis